

constituto regis Bohemie Otacheri homines circa Chambe terram vastant circa festum annunciacionis sancte virginis Marie. Eodem tempore Buecho de Rosenberch cum aliis Bohemis et nobilibus super Anasum constitutis intrant (!) Weilhardum usque Purchausen, totali incendio et rapina ipsum Weylhardum undique devastavit.

p. 274.

Interea dissencientibus inter se Ottachero qui et Premeusel rege Bohemie et Henrico duce Bawarie dies amicabile colloqui in Welsa prefigitur celebrandus. Quo dum ipse dux profecturus itineris disponderet honestatem, ecce rex predictus collecto clam exercitu et litteris diffidacionis paulo premissis Pataviam transiens terram ducis invadit incendiis et rapinis. Per pagos enim qui dicuntur Chunzgaev et Vilstal¹ ascendens et usque ad oppidum Lantshuet, ubi tunc temporis ipse dux cum domo sua manebat, se iactitans processurum, inter Gysenhaus et Frawenhofen castra metatus est. Ipse vero H. dux virili animo iuvenilem superans etatem barones totius Bawarie tam suorum quam fratris sui districtuum² per celeres convocans nuncios disponit ad bellum congredi cum rege predicto. Immo etiam frater ipsius de Reno cum paucis et inermibus adventu celerrimo supervenit. Audiens autem rex predictus ipsos duces ad congrediendum secum paratos, in vigilia beati Bartholomei, videlicet VI. feria, fugam capiens, mane sabbati venit ad oppidum Muldorf, transitum ibi petens. Quod ipsi cives propter promissionem domno H. duci prius factam per moram aliquam rennuentes, tandem multis³ victi pactionibus et pollicitis admiserunt. Insequentibus interim victricibus nobilium ducum Wawarie vexillis et distinctis ad pugnam strennuis militum aciebus, tanta fit ad introitum oppidi Muldorfensis certatim fugientium pressura, quod ponte confracto in alveum Eni hominum labitur multitudo. Videbantur ibi plurimi(?) adverse partis milites in equis falleratis satis miserabiliter enatare, set et Bawaris irruentibus et incendium incipientibus multiplex ibi mortis periculum aspiciebatur. Igne quidem aqua telis et gladio de parte fugientium plurimi perierunt, quorum fidem et meritum, finem quoque seu numerum deus novit. Rex autem predictus cum paucis aufugiens versus Tytmaenige et Laufen et inde Vekelaerprukke inglorius remeavit. Duces autem predicti cum amicis inter quos erat precipuus Gebhardus comes de Hyersperch, qui et honesto tunc auxilio prestito domnam Sophyam sororem ipsorum

1) 'Vilstat' cod. 2) 'fratri sui districtum' cod. 3) 'militis' cod.